



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Theologia Polemica**

**Burghaber, Adam**

**Fribvrgi Helvetiorvm, 1678**

LXIX. De Baptismi Sacramento.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72462)

ubi probat geniculationem esse bonam, imò divinam, assertetque illud ipsum testimonium Apost. I. I. Cor. 14. *omnia honeste & secundum ordinem fiant*, quod nos supra adduximus; sicuti autem ex hoc geniculatione, ita homines aliæ nostræ cæremoniæ bonæ utiles ac divinæ dici possunt. Ad 6. libertatem Christianam, quam frequenter prædicat S. Paulus, non in eo consistere, quod Homines sint liberi ab obedientia Principum Sæcularium, & Prælatorum Ecclesiæ, sed à gravi servitute legis Mosaicæ & Cæremoniarum illius; quomodo enim ipse alioquin Rom. 13. Scripsit, *obediendum sublimioribus potestatibus, non tantum propter iram, sed etiam propter conscientiam*. Minimè autem iniicitur laqueus conscientijs Christianorum, si ex justa causa vel aliquid præcipiatur, vel ad convenientiorem DEI cultum ordinetur, modò illius libertas ab ipso DEO non sit permessa, ut de virginitate solum consilium extrat; alioquin omne imperium non tantum Ecclesiasticum, sed etiam civile tolleretur.

VIII. *Error secundus*. Sacramentalia vel nullam omnino habent vim, vel etiam ex opere operato. Ita idem Amelius cum cæteris Sectarijs. Movetur. Tum quia sic Sacramentalia præstarent Sacramentis Veteris Testamenti. Tum quia si aliqua Sacramentalia vim habent spiritualem, cur non omnia? Tum quia aqua ex se non habet vim remittendi peccata. Si ergo ex benedictione sit in sanctificationem, cur non ex opere operato? eertè communiter sibi persuadent homines, aquam lustralem remittere peccata ex opere operato. Tum quia multa alia eandem habent vim ad motus pios concitandos, ac nominatim sacrificium Missæ & aliæ functiones Ecclesiæ in patria lingua habituræ essent, quam tamen Papistæ non adhibent, sed latinam, quæ à plerisque non intelligitur.

IX. Errorem hunc rejciunt aperta Christi verba Mar. ult. v. 18. *In Nomine meo demonia eijciunt*. Si enim solum Nomen JESU prolatum vim contra diabolum habet. Cur Sacramentalia, resquæ aliæ in eodem Nomine benedictæ virtutem spirituales contra diabolicas machinationes habere nequeant? Facit ad propositum, quod narrat Palladius in Hist. Lausiac. c. 19. & 20. de muliere quadam per præstrigias in forma equæ apparente: *quæ, inquit, cum adducta fuisset ad S. Marcarium, & iste aquam benedixisset, & in nudum ejus caput infudisset, super ejus caput est precatus, statimque effecit, ut omnibus videntibus videretur femina*. Utinam Sectarij nostri sapius aquâ se lustrali aspergerent, vim utique ejus spirituales contra demonis illusiones magno suo bono experturi essent.

X. Respon. ad 1. in oppositum, nihil in hoc apparere absurdi; habent tamen Sacramenta, ut diximus, etiam vetera rationem pignoris Christi ac gratiæ per istum dandæ, quam rationem non habent Sacramentalia, adeoque quoad hoc Sacramentis veteribus inferiora. Ad 2. Sacramentalia quædam habere hanc vim spirituales: quædam verò non habere eandem; quia sic DEO & Ecclesiæ visum. Ad 3. nullam esse rationem, quæ convincat, in Ecclesia esse potestatem instituendi signa quædam externa, quæ ex vi institutionis seu ex opere operato habeant virtutem delendi peccata venialia. Quare in benedictione solum petitur, ut aqua sit in Sanctifi-

cationem, atque ex communi Theologorum benedictio Papæ; Episcopi, aut sacerdotis adjunctam habet quandam duntaxat indulgentiam, non autem remissionem ullius culpæ; Cæterum in re Theologica non tam attendendum est ad communem existimationem vulgi, quam ad consensum peritorum Theologorum, qui ita, ut diximus, sentiunt. Ad 4. discrimen esse, quod illa excitent motus quosdam naturales: at Sacramentalia ex meritis & orationibus Ecclesiæ possunt nobis impetrare auxilia supernaturalia ad actus pios ejusdem ordinis eliciendos. Lingua latinâ utitur Ecclesia in suis Missis & Functionibus, quia Deus nullam determinatè præcepit; & Latina omnibus retro sæculis utique non absque gravi causa usurpata fuit.

CONTROVERS. LXVIII.

DE BAPTISMI SACRAMENTO.

Baptismi nomen generatim pro omni medio primæ justificationis acquirendæ sumitur, quo Anima à peccato originali abluitur. Cujusmodi media in Nova Lege tria sunt, 1. & ordinarium est Sacramentum Baptismi, 2. Martyrium. 3. Contritio; unde tergemina illa divisio in Baptismum Fluminis, Flaminis, & Sanguinis apud Patres emana vit. Nos in præsentia tantum de Baptismo Fluminis agimus.

PARS PRIOR

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. *Doctrina prima*. Baptismus est Sacramentum Regenerationis per lavacrum aquæ in verbo vitæ. Ita Catechismus Pij V. Part. 2. c. 2. quam definitionem valde laudant Recentiores Theologi tanquam partes physicas & metaphysicas continentem; atque ex varijs Sac. Scripturæ locis desumptam; ut ostendit Tanner Quæst. 1. n. 9. de Baptis. Alij communiter eum S. Thoma 3. Part. q. 66. art. 1. Baptismum per partes physicas sic definiunt: Est ablutio corporis exterior sub præscripta verborum formula. Ubi tamen ablutio non sumitur latè per quolibet, sed strictè pro ea, quæ sub certa verborum formula facta rationem Sacramenti habet. Metaphysicè breviter defini potest Baptismus: Sacramentum Regenerationis, Ubi prius vocabulum genus est: posterius differentia. Nam proprium est Baptismo, hominem DEO gignere per primam animæ vitam seu gratiam obtentam, cum sætera Sacramenta maximè Penitentia vivificando potius suscitent; dicitur autem Baptismus Regeneratio, quia primam illam vitam naturalem supponit.

II. *Doctrina secunda*. Baptismus est institutus Christo. Ita omnes Catholici. Quando autem institutio hæc contigerit, prorsus incertum est. Probabilius videtur, quod docent Coninck Tom. de Sacram. Q. 66. n. 14. Disaltillo D. 1. de Bapt. n. 16. Arria;

Arriaga D. 24. sect. 4. Esparza D. 38. art. 4. & alij. Sacramentum hoc institutum esse ante passionem, quando Christus suos Discipulos primò misit prædicatum, de quo Matth. 10. & Luc. 9. *utique & baptizatum*; quantumvis Scriptura id non exprimat, Fuit igitur Baptismus jam tum utilis, gratiamque causavit; aliàs Christus illum non contulisset. Unde Apostoli & alij, qui eo tempore baptizati sunt, & deinde, non fuerunt defraudati gratiæ effectu. Necessarius autem tunc baptismus non fuit, sed à promulgatione primùm ipso die Pentecostes facta cepit ejus obligatio: & verò ne quidem tunc universaliter, sed pro Hierosolymis & paulatim ab alijs Orbis Christiani partibus ad tempus pro legis Evangelicæ promulgatione, ut docetur de Legib.

III. *Doctrina tertia.* Materia Baptismi remota est vera & naturalis aqua, quæ & elementarijs dicitur: proxima verò est ablutio; consueta autè forma Ecclesiæ Romanæ est ista: *Ego te baptizo in Nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. Amen.* Prima pars definitur in Tridentino Concilio Sess. 7. can. 2. *si quis dixerit, aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa D. N. JESU Christi (Joan. 3. v. 5.) nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto ad metaphoram aliquam detorsit, anathema sit.* Ratio à priori non est alia; quàm voluntas DEI ac Christi, qui si voluisset, etiam alium liquorem assumere potuisset. Non obstat, quod narrat Nicephorus Lib. 3. c. 17. de quodam Judæo à Christianis arenâ baptizato; quod enim miraculosè convaluerit, magnæ ejus fidei & baptismo Flamini adscribendum, non quasi Deus factum probaverit. Unde Dionysius Alexandria Episcopus sapienter jussit eum postea aquis baptizari. Ut autem aqua sit idonea tres habere debet conditiones. 1. ut habeat essentiam aquæ elementaris. 2. ut communi hominum judicio aqua censeatur. 3. ut sit fluida & lotioni apta. Ratio duorum priorum est, quia Christus usus est verbis juxta communem hominum intellectum. Ergo vocando aquam intellexit talem, scil. elementarem. Ratio postremi desumitur ex fine, quia debet adhiberi ad lotionem.

IV. Secundam partem tenent omnes Catholici Doctores, eamque desumunt ex illo Ephes. 5. vers. 26. *mundans lavacro aquæ.* Ratio est, quia illud est materia propria in hoc Sacramento consistente in usu & actione transfere, quod per formam determinatur. Atqui forma ego te baptizo &c. non determinat aquam secundum se, sed quatenus est in usu seu ipsam abluionem per aquam. Ergo &c. Est autem ablutio ipsam aquam, ut formaliter est in applicatione & usu ad corpus abluendum, sive deinde fordes abluui contingat, sive non. Eadem ablutio, prout est de essentia Baptismi, non sumitur tantum passivè; id est, quatenus præcisè dicitur aquæ receptionem in corpore (quæ consistit in contiguitate aquæ ad corpus) neque etiam tantum activè, quatenus dicit applicationem aquæ, ut formaliter à Ministro provenientem, sed sumitur utroque modo ita ut formaliter involvat rationem actionis & passionis, ut post alios rectè Esparza Q. 29. art. 4. Nam illa ablutio est essentialis, quæ significatur per formam. Impossibile autem est, verificari formam, nisi ablutio sumatur, quatenus provenit à Ministro, & quatenus recipitur in baptizando, cujus personam exprimit.

De reliquo ad valorem Baptismi ex communi Doctorum non requiritur certus numerus immersionum, vel affusionum, sed sufficit una, vel etiam tres usurpari possunt, quia singulis lotionis nomen convenit, & olim varius fuit usus; primò trinæ immersionis ad significandum Mysterium Trinitatis: postmodum in Hispania propter hæreticos unica immersio præcepta fuit ad significandam unam Deitatem. Quisque suæ Diæcesis consuetudinem teneat.

V. Tertia demum pars definitur in Tridentino Sess. 6. can. 4. & sumitur ex illo Matth. ult. v. 19. *Docete omnes Gentes baptizantes eos in Nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.* A qua forma non differt substantialiter ista Græcorum: *baptizetur servus Christi in Nomine Patris &c.* ut habetur in decreto Fidei Eugenij IV. Porro quinque sunt, quæ significantur in prolatione Formæ; juxta quæ valor ejus expendi debet. 1. persona baptizantis saltem implicite, quod in forma Græcorum non negligitur, siquidem *Tò baptizetur idem valer, quod baptizetur à me.* 2. actus baptizantis, alioquin forma non habet connexionem cum materia, eamque non determinat, cum ablutio ad varios fines referri possit. 3. Persona baptizandi, quia uti ablutio, ita etiam forma circa certam personam versari debet. 4. unitas divinæ Naturæ, quod fit per voces in Nomine. 5. Trinitas personarum, idque explicite & distinctè vulgaribus vocabulis. Ita communiter Theologi, qui inde rectè negant, valere baptismum in Nomine Christi collatum; ad quid enim Christus tam signatè Unitatem & Trinitatem expressisset, si hæc expressio necessaria non esset?

VI. Sed estne hæc sententia de fide? videntur aliqui affirmare ex Zacharia & Pelagio Pontificibus, qui definirunt, baptismum in Christi nomine collatum esse nullum. Negant rectius Bellarminus Lib. 4. de Rom. Pontif. c. 12. Tanner Tom. 4. D. 4. Q. 1. n. 94. & alij. Tum quia non invenitur ulla Ecclesiæ definitio de hac re. Tum quia nec satis constat, Pelagium & Zachariam contrarium ex professo definivisse; siquidem testimonia, quæ de ijs afferuntur, apparent nonnullis aliter intelligi posse. Tum quia oppositam sententiam tenuit S. Ambrosius Lib. 1. de Spir. S. c. 3. Nonnulli etiam Scholastici eandem tradiderunt apud Tanner loc. cit. n. 92. relati. Quare Bellarminus loc. cit. ab hæresi defendit Nicolaum I. docentem, Baptismum in Nomine Christi collatum esse ratum; atque præter illos duos Papas etiam Concilium Anglicanum (si istud à Sede Apostolica verè approbatum sit) solum definivisse, Baptismum sine invocatione trium personarum non esse ratum: non autem determinasse, an illæ tres Personæ implicite vel explicite nominari debeant. Quando igitur in Actibus Apostolorum quidam dicuntur baptizati in Nomine Domini JESU, id ita intelligendum, ut baptizasse dicantur in fide Domini JESU, vel auctoritate Domini JESU, vel Baptismo à Christo instituto, vel denique in Nomine Domini JESU, sed non solius, verum adjuncto Patre & Spiritu Sancto. Fortasse enim ad magis commendandum Nomen JESU ita dicebant: *Ego te baptizo in Nomine Patris & Filij ejus JESU Christi & Spiritus Sancti.* Videri potest Bellarminus L. 1. de Bap. cap. 3. & Scholastici, qui hæc quæstionem pluribus exponunt.

VII. *Doctrina quarta.* Omnis & solus homo illicque viator ac nondum baptizatus tam parvulus, quam adultus est Capax Baptismi. Ita omnes Catholici. Ratio est, quia omnes isti & soli sunt capaces effectus baptismi percipiendi, ut patet; & cum in Scriptura Sacra legantur integræ familiæ baptizatae, plus quam probabile est, in his omnis generis homines fuisse. In parvulis autem non requiri actualem fidem, omnes etiam Catholici tenent, de quo fuse Bellarminus Lib. 1. de Bapt. cit. c. 11. Non tamen mendacium est, cum in Baptismo loco infantium respondeatur, credo; non enim significatur, Infantem credere proprio actu, sed alieno; quia, ut loquitur S. Augustinus Serm. 10. de Verb. Apost: *Accommodat Mater Ecclesia infantibus aliorum pedes, ut eant, aliorum cor ut credant, aliorum linguam ut constententur.* In Adultis ad valorem Baptismi aliquam requiri intentionem, diximus supra. De alijs eorundem dispositionibus & requisitis videri possunt Theologi Morales.

VIII. *Doctrina quinta.* Baptismus valide administratur a quovis homine cujuscunque conditionis, sexus, Religionis, uitæ, ætatis, modò habeat usum rationis, veram intentionem, & omnia essentialia adhibeat. Ita Concilium Florentinum in decreto unionis sic loquens: *In casu autem necessitatis non Sacerdos tantum aut Diaconus sed etiam Laicus, & mulier, paganus atque hæreticus valide baptizare potest, modò formam Ecclesia servet & facere intendat, quod facit Ecclesia.* Consentiunt unanimiter Theologi cum S. Thoma Q. 67. Ratio desumitur tum ex voluntate Institutæ, quam nobis Ecclesia declarat, tum ex summa Baptismi necessitate, uti etiam insinuant Concilia. Hinc videmus baptizatos ab hæreticis & ad fidem Catholicam conversos non rebaptizare; quamvis omniæ ceremoniæ & præsertim exorcismi soleant suppleri; cum experientia docuerit, non exorcizatos, quamvis a aliis rebaptizatos, nimis dæmonum tentationibus vexari.

IX. *Doctrina sexta.* Baptismus omnibus parvulis a tempore, quo lex nova cepit obligare, natis est necessarius necessitate medijs, ita ut sine eo re ipsa suscepto (extra casum martyrij) salvari non possint. Ita certa & communis sententia Catholicorum Doctorum. Probatur ex Sac. Scriptura Joan. 3. v. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poterit introire in regnum DEI.* Quem locum non solum Concilium Florentinum, sed tota Antiquitas de Baptismo intellexit. Consentiunt Sac. Scripturæ Concilia & Patres apud Cardinalem Bellarminum loc. cit. c. 4. ex quibus S. Augustinus lib. 2. de Anima & ejus origine c. 12. *noli, inquit, credere, noli dicere, noli docere, Infantes antequam baptizantur morte præventos posse pervenire ad indulgentiam originalium peccatorum, si vis esse Catholicus.* Unde nemo dubitat, inquit Arriaga D. 24. cit. num. 34. quin sententia eorum Doctorum, qui asserunt, parvulos fide, precibus, & oblationibus Parentum absque baptismo & martyrio salvari posse, sit ad minimum erronea, si non omnino hæretica. Nam illi Infantes nec re, nec voto suscipiunt baptismum. Non obstat, quod multi infantes extinguantur in utero materno, quibus nullâ humanâ industriâ succurri potest. Nam ex eo non sequitur, Deum, quantum est ex parte sua, non providisse omnibus parvulis sufficien-

tia remedia ad salutem, cum omnium etiam parvulorum sit Redemptor, & pro omnibus sit mortuus: sed solum sequitur, voluntatem, quâ Deus illorum salutem vult, atque procurat, non esse omnino efficacem & absolutam, sed aliquo modo conditionatam, utpote qui mediorem a se infantium applicationem voluerit dependentem ab hoc ordine cursuque causarum liberarum aequè ac naturalium, à quibus ea applicatio impediti posset. Ita Suarez, Vasquez, Bellarminus, loc. cit. Arriaga Tom. 1. in 1. Part. D. 33. Sect. 3. & alij Doctores communiter.

X. *Doctrina septima.* Baptismus est etiam adultis necessarius in re vel voto susceptus. Ita Catholici Doctores, & expressè habetur in Tridentino Sess. 6. cap. 4. ex cit. textu Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit &c.* Dixim. in re vel voto. Quia adultorum quoad hoc melior est conditio, quam parvulorum; possunt enim per baptismum Flaminis, nempe desiderium aut dilectionem DEI perfectam etiam extra opportunitatem martyrij justificari. Est quoque necessarius baptismus necessitate præcepti positivi divini, ut indicat Tridentinum Sess. 7. can. 5. de Baptismo; ubi sub anathemate prohibetur dicere, Baptismum esse liberum, hoc est, non necessarium ad salutem; ex quo planè habetur, Baptismum obligare sub mortali, cum libera & voluntaria ejus omni homo minem ab æterna salute excludat. Dixim. necessitate præcepti positivi divini. Nam necessitatem præcepti naturalis divini esse inseparabilem & indistinctam realiter à necessitate medijs, patet ex eo, inquit Esparza quæst. 50. art. 6. quod voluntas præcipiendi nihil sit aliud, quam voluntas constituendi illum in ratione medijs necessarii ad consecutionem vitæ, ut idem fufius ostendit de Actib. Hum. Q. 20. & 21.

XI. *Doctrina octava.* Baptismi tres sunt præcipui Effectus. 1. est gratia habitualis remissiva peccati Originalis & Actualis, si fortè ante baptismum sit commissum. 2. est character indelebilis, quo baptizatus redditur incapax denno baptismum recipere. 3. est remissio totius poenæ tam æternæ quam temporalis pro peccato debita: Ita Catholici Doctores apud Bellarminum Lib. 1. de Bapt. c. 13. Primus effectus habetur in Tridentino Sess. 5. in decreto de peccato origina. S. 5. ubi dicitur: *si quis per JESU Christi D. N. gratiam, que in Baptismo confertur, reatum peccati originalis remitti negat, aut etiam asserit, non totum solvit, quod veram & propriam habet rationem peccati, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathematis; in renatis enim nihil odit DEUS, quia nihil est damnationis ipsi, qui verè sepulti sunt cum Christo per baptismum in mortem, qui non secundum carnem ambulant, sed veterem hominem exventes & novum, qui secundum DEUM creatus est, induentes innocentes immaculati pari innoxij ac DEO dilecti effecti sunt, hæredes quidem DEI, coheredes autem Christi, ita ut nihil profus eos ab ingressu remoretur. Ergo per gratiam, quæ in baptismo confertur, non solum delentur peccata mortalia originale & actuale quodvis, si illud fortè existat, sed etiam venialia (quorum complacentia non habetur) quomodo enim alias baptizati essent DEO dilecti & ita puri, innocentes, & immaculati redderentur, ut nihil profus eos ab ingressu cæli retardaret? Quoad alterum effectum. Est character baptismi validi inle-*

abilis effectus, ex quo alius sequitur, qui est subiectio baptizati erga spiritualement Ecclesie jurisdictionem: item capacitas & potestas activa & passiva ad alia Sacramenta recipienda, & nonnulla ex his facienda. Redditur quoque baptizatus per characterem in capax baptismi iterum suscipiendi. De quibus omnibus plura diximus supra de Sacramentis in genere. Tertium & ultimum effectum diximus, fieri in Baptismo remissionem totius poenae aeternae & temporalis pro peccatis debitae. Colligitur iste manifeste ex cit. Triden. loco; dicit enim, *baptizatos nihil ab ingressu caeli remorari*. At si Baptismus omnem omnino poenam pro peccatis debitam non remitteret, aliquid esset, quod baptizatum ab ingressu caeli remoraretur. Ergo &c. Expressius hoc docet Sess. 6. c. 14. dicens: *in justificatione, quam lapsi post baptismum obtinent, saepe remanere obligationem solvendi aliquam poenam pro peccatis debitam, quia ut sacra littera docent, non tota semper, uti in baptismo fit, dimittitur*. Idem tradit Concilium Florent. in decreto de Armenis. Ratio est voluntas & Institutio Christi. Congruentia sumitur ex similitudine, quam habet Baptismus cum morte Christi juxta illud Rom. 6. v. 4. *quicumque baptizati sumus in Christo JESU, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem*. Atqui Christus Dominus sua morte perfecte vicit peccatum. Ergo Baptismus, qui morti Christi assimilatur, peccatum baptizati perfecte vicit. Ergo non solum secundum culpam, sed etiam secundum poenam illud delet, ut recte S. Thomas q. 88. art. 5. & q. 69. art. 2. & communiter alij Theologi docent.

XII. Obijcitur 1. Mors, Morbi, caeteraque hujus vitae miseriae, sicut & carnis concupiscentia sunt quaedam poenae peccati originalis, & tamen non tolluntur per baptismum, ut constat quotidianam experientiam. Ergo per Baptismum non tolluntur omnes poenae peccati. Respon. mortem caeteraque hujus vitae miseriae non esse proprie dictas poenas, sed poenalitates. Pro hujus intellectui distinguenda duplicia mala ex peccato originali secuta. Alia naturae humanae secundum se spectata connaturalia, sed per justitiam originalem impedita, & post eam perditam per se connaturaliter secuta, quae non sunt proprie poenae, sed tantum poenales poenis similes; quemadmodum si aliquis Filius Rustici a viro nobili cooptatus per pravos mores adoptione privaretur, tum rediret ad suum pristinum statum pauperis rustici; qui status non esset proprie dicta poena, sed effectus naturalis poenae, scilicet privationis adoptivae nobilitatis. Ita Corpus humanae suae naturae est corruptibile, & licet homo nunquam peccasset, tamen fuisset morti obnoxius; quam miseriam misericors DEUS per gratiam originalem impediens, vel impedire volebat: perpetrato autem peccato gratiam illam sustulit, & corpus suae naturae reliquit; unde rursus evasit mortale. Alia vero mala ex originali peccato secuta naturae per se non conveniebant, ut privatio justitiae, & aeternae Beatitudinis, quae sunt proprie dictae poenae, de quibus loquuntur Concilia.

XIII. Obijcitur 2. exemplum veterum Christianorum, qui post baptismum pro peccatis ante baptismum patris spontaneam poenitentiam agebant, teste Baronio Anno. Chr. 264. neque hic procedit distinctio poenarum & poenalitatum;

quia Christiani utriusque sciebant & quotidie experiebantur mortem, caeteraque poenalitates nullam poenitentiam tolli. Ergo pro poenis proprie dictis agebant poenitentiam, adeoque existimabant, non omnes poenas absolvi baptismum. Respond. huic objectioni varijs modis occurrere posse. 1. forsam illos ignorasse tantam vim Baptismi. 2. forsam eos timuisse, ne non satis dispositi baptismum receperint, adeoque non integrum effectum hujus Sacramenti perceperint. 3. nonnulli DD. hunc effectum Baptismi ad tollendas poenas limitant ad poenas alterius vitae in purgatorio luendas, rati, aliquas poenas dari in hac vita luendas pro peccatis ante baptismum commissis v.g. privationem gratiae efficacis ad perseverantiam, cui delenda merito adhibenda sint opera poenitentiae. Ita sentit Fasolus in 1. Parr. Q. 23. art. 7. n. 12. & Granada de Praedestin. Tract. 8. Disp. unica. num. 39. & 40.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

XIV. **E**rror primus est. Anabaptistarum, infantes non esse capaces Baptismi; prohibere frustra baptizati, & in adulta aetate rebaptizandos esse. Unde nomen Anabaptistarum, hoc est, rebaptizantium obtinuerunt, cum alij ab Authore Thoma Muntzero dicerentur Muntzeriani, & plures absurdissimos ac jam olim damnatos errores docerent, ut videre est apud Jacobum Gualterium in Tabulis chronographicis fol. 753. Probant 1. ex illo Marci 16. v. 15. *Euntes in universum mundum predicate Evangelium omni creaturae, qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur*. Ubi ad valorem Baptismi requiritur fides, quae in parvulis non habet locum ob defectum rationis. Confirmatur ex S. Hieronymo L. 4. Comment. in Matthaeum iii. fine. ubi ait: *Primum docent Gentes, deinde doctos intringunt aqua; non enim potest fieri, ut corpus baptismi recipiat Sacramentum, nisi ante anima fidei susceperit veritatem*. Probant 2. Infantibus non datur Eucharistia, licet Christus dixerit, *nisi manducaveritis carnem Filij hominis* Joan. 6. v. 54. Ergo nec parvuli comprehenduntur his verbis Christi: *nisi quis renatus fuerit*. Probant 3. Infantes per aetatem adhuc capaces non sunt mysterij baptismatis, quae est regeneratio Spiritualis; etenim Spiritus in Scripturis nullam nisi ex incorruptibili femine scil. Verbi DEI regenerationem agnoscit i. Pet. 1. v. 23. Probant 4. Christus suo exemplo docuit tempus baptismi suscipiendi, anno aetatis 30. baptizatus. Probant 5. autoritate Patrum. D. Gregorius Nazianz. in orat. in S. Baptismum (quae est oratio 40.) *optat differri baptismum, donec pueri de fide sua possint aliquid respondere*. Et S. Augustinus L. 4. cont. Donatist. scribit, *baptismum puerorum non fuisse a Concilio stabilitum*. Probant 6. Reprobi non sunt baptizandi, ne prophahetur baptismus. Sed multi ex infantibus sunt reprobi. Ergo non baptizandi.

XV. Errorum hunc ex libris Lutheri fuxit Balthasar Pacimontanus, qui primus priore saeculo Viennae in Austria an. 1528. Baptismum pue-

rorum oppugnavit, atque idcirco ibidem tanquam hæreticus igne combustus fuit, ut scribit Cochlaeus de Actis & Scriptis Lutheri. Hunc securi Anabaptistæ multipliciter errant. 1. quod non distinguant inter Fidem Actualem & Habitua-lem, cujus etiam parvuli sunt capaces. 2. quod fidem ad valorem Sacramenti requirant, cum Christus tantum de fructu fuerit locutus. 3. quod non attendant ad circumfisionem figuram Baptismi, quæ parvulis fuit applicata, alioquin omni medio salutis destituendis, cum tamen Christus valde eos dilexerit, & cæheredes cæli appellavit Luc. 18. v. 15. *Afferebant ad illum etiam infantes, ut tangeret eos, quod cum viderent Discipuli, increpabant eos, JESUS autem vocans eos dixit: finite pueros venire ad me, & nolite vetare eos, talium enim est Regnum DEI.* 4. quod non attendant ad perpetuam Ecclesiæ praxin; de qua Augustinus L. 10. de Gen. c. 23. *Consuetudo, inquit, Matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, nec ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset traditio.* Et L. 1. de peccat. meritis exorsè ait, *Pelagianos non fuisse ausos negare baptismum parvulorum, quod videretur in tota Ecclesiæ usitatus.*

XVI. Respond. ad 1. probationem, citata verba Christi non referenda esse ad infantes, sicuti illa interpretatur Ecclesiæ, & continua praxis Fidelium docet, qui semper soliti sunt infantes baptizare, & ipsi Apostolos fecisse, vel inde sit credibile, quod dicantur *integras domos baptizasse* 1. Cor. 1. v. 16. in quibus utique erant nonnulli parvuli. Et hanc esse Traditionem Apostolicam testantur D. Dionysius Areopagita S. Pauli discipulus. Lib. de Eccles. Hierarach. cap. ult. S. Irenæus Lib. 2. c. 39. Origines Lib. 5. in caput 6. Epistolæ ad Romanos. S. Augustinus Lib. 10. de Genes. c. 23. & alij plures apud Bellarminum de Bapt. c. 8. Ad confirmationem ex D. Hieronym. dicimus, nihil aliud ibi eum intendere, quam quod Adulti non licitè baptizentur, nisi prius veritatem fidei suscipiant; quod autem parvuli validè & licitè baptizentur, ut à peccato originali liberentur, profitetur expressè in dialog. 3. contra Pelagianos. Ad 2. aliud esse, *nisi quis renatus fuerit*, quod omnes indifferenter comprehendit: & aliud, *nisi manducaverit*, quod ad adultos & ad intelligentes pertinet. Unde noluit Christus obligare Infantes ad Sacramentum Eucharistiæ, sicut ad Sacramentum Baptismi, licet utrobique dicatur *nisi*, sed ob diversas causas, quia in uno requirit, ut vitam recipiant, quæ est necessitas Medij: in altero ut vitam conservent, quod solum est præcepti, & infantes non concernit. Non obstat, antiquitus etiam parvulis datam fuisse Eucharistiam. Nam constat, per totam Ecclesiæ antiquam id non fuisse factum; cum tamen praxis Ecclesiæ doceat, in Ecclesiâ à temporibus Apostolorum infantes fuisse baptizatos propter verba Christi, nisi quis renatus &c. Ergo Ecclesiæ non ita judicavit ratione verborum illorum, nisi quis manducaverit &c. parvulis necessariò esse dandam Eucharistiam. Ad 3. ex communi SS. Patrum consensu negando, infantes mysterij Baptismi capaces non esse; siquidem nascuntur in peccato originali, ad quod tollendum baptismus institutus fuit: capaces etiam sunt regenerationis, quæ fit per gratiam Spiritus Sancti cordibus infusam, quam utique

recipere possunt. Ad rationem adjectam dicimus parvulos & adultos regenerari per verbum DEI tanquam unicum semen, quod in Baptismo accedit ad aquam, & est forma baptismi à Christo instituta Matth. ult. v. 19. *Ego te baptizo in Nomine Patris &c.* ut pluribus ostendit D. Augustinus Tract. 8. in Joan. inter cætera ajens: *Accedu verbum ad elementum & fit Sacramentum.*

XVII. Ad 4. negando, Christum suscipiendo baptismum Joannis exemplo ætatis suæ tempus nobis designasse, quo ad baptismum accedamus. Nam Christus baptismum Joannis suscipiendo per miracula tunc facta innotescere hominibus voluit, quia mox Evangelium suum prædicare & baptismum alium instituire cogitabat; hæc autem non est causa, cur nos baptismum suscipiamus, sed ut à peccato liberemur, quod tam parvulis, quam adultis necessarium est. Ad 5. Nazianzenum esse contra Adversarios; cum in periculo mortis parvulos baptizari posse concedat; tamen sententiam illius, quod baptismum in parvulis ad triennium differri optet, alij Patres non probent. Augustinum male citari; quipson eo sensu dicit, baptismum parvulorum non esse stabilitum à Concilijs, quasi cum non approbet; sed quod antiquior sit omnibus Concilijs. Hæc ejus sunt verba: *Quod universa tenet Ecclesiæ, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolicâ autoritate traditum rectissime creditur.* Unde patet, baptismum puerorum ex Augustini sententia non indigere autoritate Conciliorum, quia ab ipsis Apostolis habet originem. Ad 6. istud argumentum nihil valere contra nos; etenim nos Catholici docemus, baptismum esse pignus gratiæ conferendæ homini, dum baptizatur: & hanc conferri etiam parvulis omnibus five sint reprobi, five prædestinati. Taceo probari eodem argumento nec adultos esse baptizandos, cum utique multi ex eis sint reprobi, quod aperte est contra adversarios.

XVIII. Error secundus, Infantes habere fidem actualem, quæ cognoscunt & credunt ea, quæ aguntur, atque ijs acquiescunt, & ideo baptizari posse. Ita primò Lutherus anno 1523. contra S. Augustinum, Cochlaum & Scholasticos (quos omnes Sophistas vocat) docuit, & Lib. ad Waldenses scribit, *prestare profus Baptismum omnitero in parvulis, quam baptizare sine fide.* Sed quia hæc doctrina cæteris Lutheranis valde dura visa fuit, dixerunt, Spiritum Sanctum in actione Baptismi excitare in infantibus modum aliquem fidei hinc non respectu externarum operationum, sed internarum, ac soli DEO cognitum. Probat hanc suam opinionem apud Gerhardum in Confessione sua Lib. 2. Part. 2. à fol. 907. his argumentis. 1. exemplo Joannis Baptistæ, qui in utero materno Christum agnovit, & præ gaudio exiit Luc. 1. v. 44. 2. Matth. 18. v. 2. ait Christus: *nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum celorum.* Et v. 6. *qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt &c.* ubi expressè dicantur credere; neque prodesset æquari, si non crederent. 3. Fides, quæ justificat, non est otiosus & tepidus habitus. At infantes habent fidem justificantem, ut ipsimet Pontificij concedunt. Ergo est fides viva efficax, & fiducialis apprehensio meritorum Christi. 4. Quibus meritum Christi applicatur, illi habent fidem actualem, ut testatur tota S. Scriptura. Atqui infantibus applicatur meritum Christi,

Christi. Ergo &c. 5. Qui ad Christum veniunt & salvi fiunt, illi præditi sunt fide propria & actuali, teste iterum totâ Scripturâ. Infantes baptizati veniunt ad Christum. Ergo &c.

XIX. Error iste manifestè adverstatur Sacræ Scripturæ, quæ Deut. 1. v. 39. & Jonæ 4. v. 11. affirmat, *infantes non cognoscere distantiam mali & boni*. Item S. S. Patribus præsertim D. Augustino, qui lib. 4. de Bapt. c. 23. sic scribit: *Traditum tenet universitas Ecclesiæ, cum parvuli infantes baptizantur, qui certè nondum corde possunt credere ad justitiam, & ore confiteri ad salutem, quod latro potuit; quin etiam stendo & vagiendo cum eis mysterium celebratur, ipsis mysterijs vocibus obstrepunt, & tamen nullus Christianorum dixerit, eos inaniter baptizari*. Similia habet alibi, ut agnoscit ipse Lutherus. Adhæc repugnat Verbo DEI, dari motus similes actibus fidei, quia nomen fidei nusquam in Scriptura significat motum quandam sine sensu & cognitione, sed potius contrarium indicatur Roman. 10. v. 17. *Fides ex auditu*. Heb. 11. v. 3. *Fide intelligimus aptata esse fascula &c.* Repugnat etiam rationi, inveniri prædictos motus in infantibus; etenim nequeunt esse in corpore, cum similes sint actibus fidei & dilectionis: nec in anima, cum implicet contradictionem, fieri absque cognitione; quid enim est motus intellectus, nisi intelligere? & quomodo voluntas potest inclinari sine præcedente cognitione? Apparet profectò, Prædicantes parùm intelligere in Philosophia, & necire, quid dicant.

XX. Respon. ad 1. in oppositum; hoc signum non habere ullum fundamentum. Nam ab exemplo Joan. Baptistæ non licet argumentari ad alios infantes, cum fuerit extraordinarium miraculum, ut bene advertit S. Augustinus epist. 57. ajens, *hoc in miraculis habendum divinæ potentia, non ad humana trahendum exempla naturæ; alioquin possemus dicere, omnes asinos loqui posse, cum asinus Balaam fuerit locutus Num. 22. v. 28. Ad 2. in priore loco Christum non voluisse nos assimilari parvulis in omnibus, sed tantum in humilitate & innocentia, sicut explicat Apostolus 1. Cor. 14. v. 2. Nolite pueri effici sensibus, sed malitiâ parvuli estote*: in posteriore loco Christum non locutum de infantibus: sed de grandjusculis jam ratione utentibus; alioquin non essent capaces scandali. Accedit, quod, si ex his verbis Christi fides infantum probaretur, illi non solum in baptismo tunc, sed etiam postea stabiliter credere deberent, cum Christus extra baptismum illis fuerit locutus. Ad 3. distinguendo Majorem, & concedendo eam, si intelligatur de justificatione, quæ in adultis fit per propriam dispositionem: negando eandem de parvulis, qui se per actus rationales disponere nequeunt: neq; ab ipsis exigitur. Si etiam in infantibus est viva efficax interna fidei operatio & fiducialis meritum Christi apprehensio, ut asserit Gerhardus fol. 908. quomodo est inexplicabilis, ut priore fol. dixerat? Ad 4. Majorem verissimam esse de adultis: falsissimam de infantibus, nec ex tota Scriptura una sententiola adduci potest, quæ istud testetur. Ad 5. Majorem iterum verissimam esse de adultis: falsissimam de infantibus, ac denuo Gerhardus toti Scripturæ affingit, quod nec in una ejus lineola ostendere potest.

XXI. Error tertius est, Baptismum non esse necessarium ad salutem tam adultis, quàm parvulis, sed sufficere fidem vel propriam, vel alienam

parentum; etiam si copia Baptismi suppetat. Ita Amesius Tom. 3. à fol. 58. Molinæus à fol. 968. alijque Calvinistæ cum suo Magistro Calvino L. 4. Infit. c. 15. & S. 15. & alibi. Duo autem hæc astruere intendit; *primum*, baptismum ad salutem & regnum cælorum non esse per se necessarium, sed tantum esse signum, quod baptizati sint salvi: *alterum*, omnes homines adhuc in utero clausos esse filios iræ, statim autem ac nati fuerunt, existere filios DEI, ac baptismum solum accipere in signum, quod sint Filij DEI, idcirco omnis baptismi potest quidem esse peccaminosa ratione præcepti neglecti, non tamen noxia salutis animæ. Calvinistis eousque consentiant Lutherani, ut putent, Fidelium infantes salvandos, si quocumque tandem casu absque baptismo discedant aut ab hoc impediuntur, ut videre est apud Gerhardum L. 2. P. 2. fol. 885. Hanneken in Ireneo fol. 649. & alios asserentes, solum juxta consuetudinem DEI ordinem esse baptismum Infantibus necessarium. Videatur Verweiss in Spec. fol. 598. ubi varios locos hæreticorum verbatim refert. Probant 1. discursu in Sacris literis fundato. Omnes propagati ex semine Abraham sunt DEO chari & benedicti. Sed omnes Fideles sunt propagati ex semine Abraham. Ergo omnes sunt DEO chari & benedicti etiam sine baptismo. Majorem sumunt ex Genesis 17. v. 7. *Statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno, ut sim DEUS tuus & seminis tui post te*: Minorem ostendunt ex Apollolo ad Roman. 4. v. 13. ubi ait, hanc propagationem non intelligendam de carnali generatione, sed de Spirituali imitatione fidei; sic enim loquitur: *Ut secundum gratiam sit promissio omni semini, non ei, qui ex lege solum, sed ei, qui est ex fide Abraham, qui Pater est omnium nostrum*. Et ad Galat. 3. v. 7. *qui ex fide sunt, ij Filij sunt Abraham*. Et v. 9. *qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham*. Hanc autem benedictionem etiam ad filios seu liberos fidelium parentum extendi, iterum ostendunt ex Apost. 1. Cor. 7. v. 14. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidem: & sanctificata est mulier infidelis per virum fidem, alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem mundi sunt*; ubi vel unius parentis fidem ad prolem sanctificandam sufficere asserit. Probant 2. autoritate aliquorum DD. Catholicorum, nempe Episcopi Bitontini Cornelij Missi in cap. 5. Epist. ad Roman. Joannis Ferrari Cathedralis olim Concionatoris Noguntini, Alberti Pighij &c. Probant 3. ratione. Tum quia prophanatur, inquit Amesius, Baptismus, cum datur ei, qui non pertinet ad Christum. Tum quia non apparet, cur damnentur potius Infantes Christianorum, qui præmaturâ morte præcepti nequiverunt baptizari, quàm Judæorum sub veteri testamento, qui ante constitutum circumcisionis diem moriebantur. Tum quia alioquin efficacior foret culpa Adami ad perdendum, quàm gratia Christi ad salvandum. Confirmat abviando dupliciter potissimo fundamendo Pontificiorum ex illo Joan. 3. nisi quis renatus fuerit &c. Nam ajunt 1. hunc locum non esse intelligendum de materiali baptismo, neque nomen aquæ propriè sumendum pro visibili elemento, sed metaphorice pro gratia Spiritus sancti, ut explicat S. Joannes c. 7. v. 34. cum enim Christus dixisset, *qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aqua viva*; subjungit Evangelista;

hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. 2. et si locus ille de materiali baptismo accipiatur, tamen inde non probari ejus necessitatem, tum quod similis planè locutio habeatur Joan. 6. v. 54. nisi manducaveritis carnem Filij hominis &c. & tamen Catholici negant, inde probari necessitatem utriusque speciei, tum quod illa verba dicta sint ad Nicodemum, cui non erat necessarium Sacramentum Baptismi, cum jam circumcisus fuerit, & per circumcisionem à peccato Originali purgatus; nec dum præceptum Baptismi obligabat, cum Christus hoc loqueretur, sed primum post Pentecosten, ut fatentur ipsi Catholici.

XXII. Errorem hunc damnarunt Innocentius III. cap. Majores de Baptis. Et Concilium Constantiense absolute erroris dammando hanc assertionem, posse parvulos sine baptismo salvari. Item Tridentinum Sess. 6. can. 4. statuens, justificationem post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non posse. Eundem Sacræ Scripturæ Joan. 3. inherentes rejiciunt Patres præcipue S. Augustinus supra S. VI. citatus, qui etiam Lib. 1. de peccat. merit. & remiss. cap. 25. planè graviter ita definit: Nulla præter baptismum Christi salus promittitur infantibus; quia infantes, si per Sacramentum, quod ad hoc est divinitus institutum, in credentium numerum non transeunt, in tenebris manent. Quia scilicet hoc pertinet ad ostensionem divinæ justitiæ, & beneficium & misericordiam in renatos magis commendandam, ut in lege illa universali Joan. 3. cit. lata: nisi quis renatus &c. non dispensetur. Idem S. Pater ita epist. 28. ad S. Hieron. detonat contra præsentem errorem hæreticorum: Quisquis dixerit, quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli: qui sine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profecto & contra Apostolicam predicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam: ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur, alias in Christo vivificari non posse. Iterum DEUS, quantum in se, sufficienter, ut diximus loc. cit. omnibus providit, instituendo remedium, quod ex se facile omnibus potest applicari, esto interveniat casus, quo id de facto fieri non possit ob defectum aliquem naturæ vel parentum &c. Probationes hæreticorum contra necessitatem Baptismi allatæ nihil evincunt, ut fuse contra Pet. Molinæum ostendit Laurentius Forer in Antiquitate Papatûs Lib. 7. pun. 9. Controverso, c. 1. Breviter.

XXIII. Respon. ad 1. Imprimis promissio illa liberaliter accepta non respicit cælestem, sed terrenam hæreditatem, ut aliunde verba indicant: *labori & semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem æternam*; fuit tamen illa terrena hæreditas figura cælestis, ut Apostolus loc. cit. exponit. Deinde ut aliquis sit spiritalis Filius Abrahæ, qualem describit Apostolus, non sufficit, ut carnaliter fuerit genitus ex fidei, sed ut ipsemet per se habeat fidem, quam infantes per baptismum accipiunt; hinc ergo non conficitur, non esse necessarium saltem infantibus baptismum, sed potius contrarium; etenim ut compotes fiant cælestis hæreditatis, debent esse filij Abrahæ, quales sunt per fidem, quam accipiunt per baptismum in re vel voto, ut supra explicatum. Demum sanctitas & Mündices, quam Apostolus 1. Cor. 7. liberis fidelium tribuit, non significat æternam animæ justificatio-

nem, sed externam & moralem honestatem coram hominibus. Nam tunc irrepserat falsa opinio apud Corinthios, quasi Matrimonium inter infideles contractum altero converso dissolveretur, & infidelis conjunxit deferendus esset, quod refutat S. Paulus ex absurdo consequente, nimirum quod filij post alterius partis conversionem suscepti forent illegitimi, cum tamen passim sancti, id est, legitimi & honesti habeantur; etenim sanctificare in SS. Literis juxta idioma hebraicum significat purgare, mundare, honestare, & hoc sensu dixit Apostolus, conjugium infidelium altero converso non solum non dissolui, sed sanctificari, hoc est, purgari à priori infamia; prius enim desperati & incorrigibiles videbantur, jam præbent spem conversionis, cum maritus infidelis uxori conversæ promittat liberum commercium Religionis Christianæ. Hinc apparet, Sectarios in discursu suo variè hallucinari, & ineptè verba D. Pauli 1. Cor. 7. huc applicare; etenim in sensu ipsorum conjunx infidelis sine conversione ad DEUM & baptismo Christi sanctificatur, hoc est, ad remissionem peccatorum pervenire possit ex eo solum, quod conjugi fidei adhereret; quo quid ineptius?

XXIV. Ad 2. Præ centum Bitontinis nobis Hipponensis Episcopus est, præ centum etiam Feris. Et verò multis locis hic Joannes Ferus non satis catholicè scripsit; unde & opera ejus ab Indice librorum prohibitorum proscripta sunt. Pighij quoque autoritas, etsi ahas viri clarissimi, tanta nobis non est, ut contra tantum Ecclesiæ Doctorem & communem Theologorum sententiam valere quidquam debeat. Errant illi & nonnulli alij catholici sub specie pietatis, inquit Tanner Tom. 4. D. 4. Q. 3. n. 61. non facundum scientiam infantibus absque baptismo morientibus cœlum aperientes; at diversimodè hi ab illis. Nam Calvinistæ absolute & pertinaciter necessitatem Baptismi negantes commiserunt hæresin, in quam etiam incidere, qui cum eadem pertinacia parvulis aliud eiusmodi remedium ordinariæ & certæ lege tribueret: Catholici vero DD. de quodam privilegio & quasi extraordinaria dispensatione DEI loquentes doctrinam aperte falsam & improbabilem attulerunt, ut rectè censet cit. Author.

XXV. Ad 3. probationem, Nullam ex allatis tribus rationibus efficacem esse. *Non primam. Quia Baptismus non prophanatur, cum datur immundis, sed ipsos mundat; ideo quippe datur immundis, ut mudentur, sicut communis Ecclesiæ habet sensus omnium ætatum, quibus soli fere Calvinistæ & Pelagiani refragantur. Unde absolute pronunciat D. August. Epist. 28. cit: Sicut omnes homines per primam, hoc est, carnalem generationem pertinent ad Adam; Sic omnes homines qui ad Secundam, id est, spirituales generationem veniunt, non nisi in Christo vivificabuntur. Non secundam. Quia quoad infantes, qui in utero moriuntur, eadem olim fuit, quæ nunc est, ratio: quoad alios jam natos, qui ob defectum aquæ baptizari non possunt, ex una parte est rarissimus casus, ipsumque remedium baptismi per se verè tam facile atque obvium est, quam quodvis in lege naturæ vel Mosaica: ex altera verò parte ab majorem fidei cognitionem, & propagationem, absolute loquentur, infantibus hoc tempore multò magis est prospectum: ac sine comparatione plures nunc, quam olim*

olim saluantur. Non tertiam. Quia negatur sequela; siquidem hoc non fit ob inefficaciam gratiæ Christi, sed contingit ex eo, quod supposito peccato & demerito Adami non possit gratia perinde ut peccatum carnali generatione ad posteros diffundi. Quocirca necessarium fuit, ut externum aliquod remedium hominum moribus & consuetudini accommodatum institueretur.

XXVI. Ad confirmationem; hæc, quæ afferunt, minime infringi fundamencum nostrum ex Joan. 3. *nisi quis renatus fuerit &c.* Tum quia nimis audacter & contra communem Patrum interpretationem nomen aquæ ad metaphoram trahitur, & pro Spiritu sancto sumitur; cum tamen generalis sit regula Interpretum; verba Sacræ scripturæ propriè accipiendæ, quantum sine absurdo possunt; alioquin nihil certi habemus ex Sac. Scriptura, quolibet hæc prohibitu ad varios tropos detorque. Nec consequens est, sicubi nomen aquæ improprie pro gratia Spiritus Sancti accipitur, etiam hic ita sumendum; alioquin tota essentia hujus Sacramenti penitus evertetur, aquam semper spiritualiter accipiendo: neque poterit ex Sacra Scriptura probari, Christum fuisse verum Filium DEI & hominem, quandoquidem nomen filij sæpe improprie sumitur in Sac. litteris, ut Isaïæ. 5. v. 1. *pinguis vinea vocatur filia DEI*, & sæpe minora oppida respectu metropolis dicuntur Filia ejus. Tum quia non explicatur vis hujus phrasæ: nisi hoc vel illud feceritis, non salvabimini; si enim non significet necessitatem, quid aliud?

XXVII. Allata instantiæ nihil probant contra necessitatem. Nam prior de necessitate conjunctionis sub utraque specie suo loco explicabitur, quod significet, nisi neutra sumatur; quod si de desumptione unius speciei respectu parvulorum intelligatur, supra jam §. XVI. ad 2. fuit ostensum discrimen inter hæc & illam propositionem, nisi quis baptizatus fuerit &c. Posterior etiam instantia de Nicodemo non obstat; quia licet tunc temporis nondum fuerit necessarius baptismus, tamen paulò post erat futurus. Ne quis autem miretur, cur ex abrupto sine ulla occasione data de futura necessitate Baptismi cum Nicodemo disserterit, sciat talem fuisse discursum Christi, paucis verbis ab Evangelista insinuatam. Scio, mi Nicodeme, cur ad me venias; cupis scilicet scire, quale sit regnum futurum toties à me promissum, & quomodo ejus compos fieri queas, sed nondum es capax hujus doctrinæ; nemo enim idoneus est ad meam doctrinam percipiendam, nisi deposito fastu, & proprii judicii temeritate infantilem quandam simplicitatem induat, & instar modo geniti infantis captivato intellectu in obsequium fidei credat, quæ non videt. Ideo omnes, qui volunt in regnum meum ingredi, debent simpliciter renasci per Sacramentum Baptismi, quod nunquam quidem non capis, sed suo tempore capies, illuminante Spiritu Sancto, qui ad meos discipulos venit. Ita Nicodemum admiratione suspensum & semicredulum dimisit, bene tamen affectum, ut in sepultura ostendit, & postea legitime baptizatus præclarus Episcopus evasit.

XXVIII. Urgent Molinæus & alij Sectarij. Baptismus Fluminis suppleri potest per martyrium & dilectionem DEI super omnia, quæ duo

Pontificij idcirco baptismum Sanguinis & Flaminis appellant. Ergo baptismus Fluminis non est universim necessarius. Resp. negando Consequens. Quia in casu necessitatis & defectu aquæ DEUS voluntatem pro ipsa re accipit: sanguinem autem effusum speciali privilegio donat. Primum horum sumitur ex ijs Sac. Scripturæ locis, in quibus Dilectioni DEI & Contritioni promittitur justificatio, ut Proverb. 10. v. 12. Luc. 7. v. 47. 1. Pet. 4. v. 8. Ezech. 18 v. 30 Isaïæ 55. v. 7. Alterum verò ex Matth. 10. v. 32. ubi promissio Christi est generalis; & suadet exemplum Innocentium, quos Ecclesia ob mortem Christi causâ susceptam ut martyres & verè Beatos colit. Utrumque confirmatur ex consensu Patrum & omnium catholicorum. Itaque ex Fide tenendum, posse aliquem salvari baptismò Fluminis vel Sanguinis absque Baptismo fluminis, ut expressè deciditur ab Innocentio III. Papa in cap. Apostolicam. de Presbyt. non baptizato; habeturque ex perpetua traditione. Ex quo Universalitati Christi Verborum Joan. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* nihil decedit; quia isti duo baptismi Sanguinis & Flaminis ab ipso Christo ad æquivalentiam baptismi Fluminis fuerunt assumpti. Instant autoritate aliquorum Patrum absolute asserentium, absque baptismò aquæ non obtineri salutem. Sed loquuntur vel de culpabili omissione baptismi aquæ: vel sub baptismò fluminis comprehendunt baptismum flaminis & sanguinis: vel aliud intendunt, quam Sectarij velint. Singulos Patres asseri in oppositum solitos explicavi in Disputatione mea de Triplici Baptismo Friburgi Brisgoiæ anno 1666. impressa. Videantur Vasquez D. 150. à num. 36. Suarez, Coninck alij.

XXIX. Error quartus est, parvulos illegitimè aut ex Infidelibus natos à nemine baptizandos esse. Ita Calvinistæ in Synodo Vilnensi anno 1589. die 11. Martij, ut refert Becanus in Manuali L. 3. c. 7. fol. mibi 425. Nam prioribus, inquit, deest recta propagatio ex semine Abraham: posterioribus verò fides parentum. Hujus erroris & apertissime falsæ doctrinæ Calvinistas merito jam puder. An non Christus pro omnibus baptismum instituit? In Christo, inquit Apostolus ad Gal. 3. v. 28. *non est Judæus, neque Græcus, non est servus, neque liber, non est masculus neque femina.* Ad hæc prima hujus opinionis pars de illegitima nativitate falsa est; quia promissio spiritualis Abraham facta non pender à carnali generatione, sed ab imitatione fidei, sicut Christus ipse Luc. 19. Zachæum ex Gentilibus natum vocavit *Filium Abraham*: Altera verò, quia propria fides per baptismum accepta prodest liberis, quantumvis parentes sint infideles.

XXX. Error quintus est. denuo Calvinistarum cum suo Magistro L. 4. Instit. c. 15. §. 20. 21. & 22. Item in Andidoto Tridentini Sess. 7. cap. 10. Ministrum Baptismi esse Prædicantem, proinde alios etiam in casu necessitatis nec licitè nec validè posse administrare. Videantur DD. à Wahlenburch Tom. 2. fol. 17. Fundamentum ipsorum est, quia Christus solis Prædicantibus potestatem baptizandi contulit Matth. 28. v. 19. *Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos &c.* ubi

mus prædicandi cum potestate baptizandi connectitur. Ergo quibus non convenit docere & prædicare, ut mulieribus, infidelibus, illiteratis &c. eidem nec baptizare convenit. Addunt aliqui auctoritatem Epiphanijs & Tertulliani; quia ille dicit, *non permiffum mulieribus quodcumque facrum obire munus in Ecclesia: iste verò: non permitti mulieri loqui in Ecclesia; sed nec docere nec tingere* (id est baptizare) *nec offerre.* Hunc errorem damnat Romana Ecclesia in Concilio Florentino decreto Eugenij, & can. à quodam Judæo. de Consecrat. Dist. 4. atque omnes Doctores Catholici rejiciunt. Ratio sumitur ex necessitate tanti Sacramenti. Dicit quidem Amefius, hoc se fundamentum everisse, sed stat inconcuffum & totius Veteris Ecclesiæ auctoritate roboratum, ut hæresis ista Calvinistarum ulteriore refutatione non indigeat; Luter tamen quære ex his, cur viros quoscumque alios inter ipsos, imò & mulieres non admittant ad Baptismum conferendum sive privatim sive etiam publicum, cum juxta placita Sectariorum quicumque viri & mulieres fideles sint Sacerdotes secundum verba illa 1. Pet. 2. v. 9. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta &c.* Respondemus ad fundamentum Sectariorum. Verba citata Christi ad ordinarium modum baptizandi pertinent: non ad extraordinariam necessitatem, ut interpretata est Ecclesia, & intellexerunt sacra Concilia & Patres, atque ipsa perpetua praxis docet, ut negare non audeat Calvinus sect. 20. cit. *Concedens, talem à Laicis collatum in necessitate baptismum ab ipso fere Ecclesia exordio usu receptum fuisse.* Patres Epiphanius & Tertullianus ineptè contra nos adducuntur. Nam quis Catholicorum unquam concessit mulieri sacrum quodcumque munus, & sic Baptismum quoque in Ecclesia obire? In domibus privatis & urgente necessitate extremâ atque absentia Sacerdotis vel viri alijs magis periti solum permittitur, ne sine baptismo mortui infantes celesti beatitudine excludantur. Imperitè etiam contra ipsos Adversarios assertur Tertullianus; etenim verbum offerre hic aliud non significat, quàm Sacrificare. Ergo Sacrificium missæ jam in primitiva Ecclesia fuit piè ac sanctè celebratum à Sacerdotibus, nec unquam permiffum mulieribus, adeoque non est idololatria & novum Romanæ Ecclesiæ inventum, ut tamen calumniantur Hæretici.

XXXI. *Error sextus est, effectum Baptismi esse triplicem libertatem 1. à legibus divinis. 2. à legibus Ecclesiæ. 3. à proprijs votorum obligationibus.* Ita Lutherus in comment. 2. cap. Epist. ad Galat., ubi, *si, inquit, conscientia dicitur, peccasti; responde, peccavi. Ergo DEUS puniet, & damnabit; non. At lex DEI hoc dicit; sed nihil mihi cum lege. Quare? quia habeo libertatem.* Concedit ergo, facere contra legem esse peccatum, sed hoc non imputari ijs, qui habent fidem, nec salutem istorum pendere à legis impletione, sed à sola misericordia DEI per fidem apprehensa. Idem satis apertè docet Calvinus Lib. 3. Instit. c. 19. §. 2. 4. & 7. Volunt igitur uterque, hominem solius fidei debitorem esse. Lutherani apud Gerhardum, & Calviniani apud Amesium negant, hunc se Baptismi effectum, nempe triplicem libertatem admittere. Verùm quidquid dicant, ne pias aures durius feriant, reipsâ docent. Afferit Gerhardus Lib. 2. Confessionis suæ Part. 2. fol. 98. per Baptismum non solum præterita, sed etiam futura peccata

remitti, hoc est, ut ipsemet se explicat ibid. fol. 98. peccata præterita & futura perinde se habere, ac si nunquam essent comissa; aut comittenda; quod ipsum etiam tradit Amefius Tom. 3. cont. Bellarm. fol. 68. ubi etiam apertis verbis affirmat, salutem ex gratia, non ex lege in baptismo promitti. Quid autem hoc est aliud, quàm à lege omni ita esse liberum, ut nullum peccatum contra illam patratum habentibus fidem imputeur & quàm legis transgressionem tam parùm nocere habentibus fidem, ac si nunquam lata esset? quàm nihil hominibus cum lege esse? quàm salutem hominum non à legis impletione, sed à sola DEI misericordia per fidem apprehensa pendere? Ad probandam & confirmandam triplicem hanc libertatem veluti effectum Baptismi passim in libris & cathedris prædicant, crepant & jactant Sectarij illa verba ex epistola D. Pauli ad Gal. c. 4. v. 26. *que sursum est Jerusalem* (id est, Ecclesia cœlitus instituta) *libera est.* Et v. 31. *non sumus Ancille filijs sed libera, quâ libertate non redemur Christus.* Et c. 5. v. 1. *nolite iterum jugo servitutis teneri.* Et v. 13. *vos in libertatem estis vocati, Fratres.* Et v. 19. *quod si spiritum ducimini, non estis sub lege.* Atque hanc libertatis promissione non solum vulgus in suas partes traxerunt, sed etiam quosdam Monachos & Sacerdotes, quos votum castitatis absterrebat.

XXXII. Hunc errorem & spurcissimam libertatem, quæ omnibus vitijs januam aperit, jure damnavit Concilium Tridentinum Sess. 6. can. 19. *Siquis dixerit, nihil prorsus esse in Evangelio præter fidem, cetera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera: aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit.* Et can. 20. *Siquis hominem justificatum, & quemlibet perfectum dixerit, non teneri ad observationem mandatorum DEI & Ecclesiæ, sed tantum ad credendum, quasi verò Evangelium sit nuda & absoluta promissio vite æternæ sine conditione observationis mandatorum, anathema est.* Et can. 21. *Siquis dixerit, Christum JESUM à DEO hominibus datum fuisse, ut Redemptorem, cui fiant, non etiam ut legislatorem, cui obediant, anathema sit.* Idem Sess. 7. can. 7. de Baptismo. *Siquis dixerit, Baptizatos per baptismum ipsos solius fidei debitores fieri, non autem universa legis servande, anathema sit.* Et can. 8. *Siquis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta vel tradita sunt, ita ut observare non teneantur, nisi se suâ sponte submittere illis voluerint, anathema sit.* Et can. 9. *Siquis dixerit, ita revocandos esse homines ad Baptismi suscepti memoriam, ut omnia vota, quæ post baptismum fiunt, vi promissionis in baptismo ipso factæ, irrita esse intelligant, quasi per ea & fidei, quam professi sunt, detrabatur, & ipsi baptismo, anathema sit.* Hisce decretis triplex illa libertas est damnata, cui etiam sacræ litteræ contradicunt. Nam primò baptizatos adstringi ad mandata DEI observanda, declarant verba Christi Matth. 28. v. 20. *docete omnes gentes, baptizantes eos, & docentes ea servare omnia, quæ dixi vobis.* Secundò Obedientiam Ecclesiæ præstandam monet Apostolus Heb. 13. v. 17. *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis.* Tertio vota observanda demonstrat idem Apostolus 1. Tim. 5. reprehendens votifragas mulieres votum castitati violantes, sic enim loquitur, v. 11. *adulescentes mulieres devota* (hoc est, ad communem electionem non admitte) *cum enim luxuriata fuerint in Christo, hoc est, contra Christum, nubere volunt habentes damnationem, quoniam primam fidem* (scilicet promissionis DEO factæ) *irritam fecerunt.*

XXXIII. Respond. ad probationem, libertatem Christianorum à S. Paulo Galatis prædicatam non significare exemptionem ab omni servitute & obligatione, sed tantum à servitute per peccatum contracta, obligatione Moisaicæ legis, sicuti ipsemet explicat Rom. 8. v. 2. *Lex Spiritus vita in Christo Jesu liberavit nos à lege peccati & mortis &c.* cui consentit S. Petrus epist. 1. c. 2. v. 16. *Quare liberi, & non quasi velamen habentes malitia libertatem, sed sicuti servi DEI.* Et epist. 2. c. 2. v. 18. redarguit hæreticos nimia libertatis præcones & libertatem promittentes, cum ipsi sint servi corruptionis. Illud autem dictum Apostoli ad Galat. 5. v. 19. *si spiritu ducimini, non estis sub lege*, difficultatem habet; videtur enim loqui non solum de lege Moisaica, sed etiam Naturali & Christiana. Pro cujus intellectu duo explicanda sunt; primum, quidnam sit duci Spiritu: alterum, quidnam sit, esse sub lege. Spiritu duci est sequi instinctum Spiritus Sancti: Esse sub lege significat metu legis & poenarum ejus impelli ad præstandum officium, quod alioquin non fieret. Sunt autem quatuor principia seu motiva humanarum actionum. 1. est suggestio dæmonum. 2. carnis appetitus. 3. metus poenarum. 4. Spontaneus amor & affectus ad honestatem ex instinctu Spiritus Sancti conceptus. Prima duo movent peccatorem ad peccandum; tertium impellit homines imperfectos, qui adeo servilem habent animum, ut nihil boni facerent, nisi cogerentur legum imperio: quartum sequuntur homines perfecti, quos Spiritus Sanctus similiter incitat ad bene operandum, & hi non idcirco bene vivunt, quod cogantur ex obligatione legum & metu poenarum, sed quia cupiunt DEO placere, & quod illi placitum noverint, facere, sive sit præceptum, sive non; sicuti homines pii quotidianò missæ sacrificio interesse consuevit diebus festis nihil cogitant de præcepto, sed nihilominus audirent, etiam si nullum esset præceptum. Similiter qui singulis mensibus vel etiam sæpius communicare solent, in Paschate communicant abstrahendo à lege. Et hi non sunt sub lege, id est, non operantur ex coactione legis & servili poenarum metu, sed ex spontanea pietate. Itaque sensus verborum Apostoli est, *si spiritu ducimini, non estis sub lege*, hoc est, si internum instinctum Spiritus Sancti sequamini, non premet vos jugum legis, nec invitos servili metu coget ad officium, sed sponte suaviter & hilariter ex amore DEI facietis omnia, ad quæ per leges obligamini, nihilominus facturi, etiam si lex nulla foret, & quidem amplius, quam debeatur; sicut navis impulsæ ventis non eget motu remorum, sicuti etiam illi, quibus vernacula est lingua Italica, nullas sciunt leges grammaticæ ex longo usu, & sic dici potest, eos non esse sub legibus Grammaticæ. Uno verbo distinguipotest illa propositio Apostoli, qui spiritu ducitur, hoc est, qui bonum Spiritus Sancti instinctum sponte sequitur, non est sub lege quoad coactionem, concedimus: quoad obligationem, negamus. Cæterum dum Adversarij dicunt, per Baptismum peccata perinde se habere, ac si commissa non essent, aperte fatentur, eadem non verè tolli, sed solum tegi ac radi, quod tamen negare hic audeat Gerhardus fol. 912. cit. sed de hoc supra diximus.

XXXIV. Error septimus, Baptismum Joannis habuisse eandem vim & efficaciam, quam ha-

buit Baptismus Christi, adeoque unum eundemque fuisse Baptismum utriusque. Ita iterum Lutherani apud Gerhardum Lib. 2. P. 2. à fol. 912. & Calviniani apud Amesium Tom. 3. à fol. 66. Nam cum velint solam fidem justificare impium: Sacramenta verò solum excitare fidem, inferunt, Baptismum Joannis eundem fuisse cum Baptismo Christi, quod probant. Tum quia uterque baptismus fidem in Christum excitavit. Tum quia eadem in utroque fuit doctrina, idem ritus eadem gratiæ oblatio. Ergo idem Baptismus, & eadem efficacia. Tam quia Lucas expressè ait. c. 3. v. 3. *Joannem baptismum prædicasse in remissionem peccatorum.* Tum quia suavissima est consolatio Christianorum, quod eodem baptismo baptizentur, quo Christus fuit baptizatus. Sed Christus baptizatus est Baptismo Joannis. Ergo Baptismus Christianorum idem est cum baptismo Joannis.

XXXV. Errorem hunc damnavit Concilium Tridentinum Sess. 7. can. 1. his verbis: *Siquis dixerit, Baptismum Joannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi, anathema sit.* Eundem apertè refutat ipse Joannes Matth. 3. v. 11. dicens: *Ego quidem vos baptizo aqua in poenitentiam: ipse autem vos baptizabit in spiritu sancto & igne.* quasi diceret: Ego solâ externâ aquâ vos baptizo in poenitentiam, hoc est, in signum, quo prostemini, vos velle serîo poenitere, Sed hæc caremonia nullam vobis gratiam, nullam remissionem peccatorum impertit. Messias verò, cujus ego non nisi præcursor, & vilissimus servulus sum, longè me fortior, imò infinitè potentior baptizabit vos etiam in spiritu sancto, hoc est, donis Spiritus Sancti, quibus animas interius emundabit à peccatis & spiritualibus ac cœlestibus gratijs replebit; illis quasi igne vos purificans, illuminans, inflammans, & ad cœlestia rapiens &c. Reijcit illum etiam S. Augustinus Lib. 5. de Bapt. contra Donat. cap. 10. ubi etiam rationem addit, quæ est talis: *Si baptismum Joannis peccata dimittentur, quid amplius præstari potuit per baptismum Christi? quos Apostolus Paulus post baptismum Joannis Christi baptismum voluit baptizari.* Intelligit autem S. Pater duodecim illos viros, quos solo baptismo Joannis baptizatos voluit Paulus denuo tingi baptismum Christi Act. 19. quod utique facturus non fuerat, si baptismus Joannis non alius fuisset à baptismum Christi; aliter Paulus Anabaptista fuisset. Similiter discrimen latum inter Baptismum Christi & Joannis faciunt Origenes in cap. 6. epist. ad Romanos Lib. 5. Hieronym. in Dialog. contra Luciferian. & alij Patres, quos fusè adducit Verweis in Speculo Ecclesiæ fol. 622. Probationes Adversariorum exigui sunt momenti.

XXXVI. Respond. ad 1. Baptismum Christi non excitare primum fidem in Christum, sed hanc, tanquam dispositionem prærequirere, & quidem propriam & actualem in adultis, alienam saltem in infantibus, atque insuper producere gratiam sanctificantem, si obex absit: secus se habet Baptismus Joannes. Ad 2. totum nihil valere, tum quia non fuit eadem doctrina nisi in genere; quid enim Joannes de Passione, Resurrectione &c. Christi disseruit? tum quia doctrina nihil valet ad Sacramenti essentiam; alioquin hæretici, qui falsam habent doctrinam, non haberent verum Sacramentum Baptismi. Sicuti ergo diversitas doctrinæ non facit baptismum diversum, ita nec similitudo doctrinæ facit unum baptismum, tum quia oblatio


oblatio gratiæ non fuit eadem in utroque baptismo; etenim baptismum Joannis sequebatur penitentia, ut ejus effectus: baptismum autem Christi præcedit, ut ejus dispositio. Ad 3. ex communi SS. Patrum Joannem prædicasse baptismum; qui excitaret homines ad penitentiam, per quam consequerentur remissionem peccatorum: non qui conferret remissionem peccatorum, ut facit baptismus Christi. Fuit igitur confessio Judæorum de peccatis, cujus in baptismo Joannis meminit Marcus cap. 1. mera cæremonia externa, quæ testabantur desiderium expurgandi animi per penitentiam. Ad 4. non esse bonam consolationem, quæ Christo irrogat injuriam. Baptismum autem Christi ipsi Christo vix absque injuria & blasphemia tribuere possumus; quippe videri poterat indigere regeneratione & adoptione; alia est ratio Circumcisionis, quæ ex se non fuit nisi signum externum fœderis cum Abraham & Semine ejus, unde Christus prodibat, qui proinde eodem signo notari atque affici poterat. Videantur DD. à Walenburg. Tom. 2. fol. 402.



## CONTROVERS. LXIX.

### DE CONFIRMATIONIS SACRAMENTO.

**H**oc Sacramentum varijs nominibus appellari solet à Concilijs & Patribus. 1. *Impositio manuum* Actor. 8. v. 14. scil. Consecrativa; non curativa aut Sanctificativa, quarum illa sanitatem corporis, ista gratiam Spiritus sancti confert: eadem impositio manuum non sumitur rigide, sed pro attractu mobili unitus dextræ; imò solius pollicis. 2. *Unctio* à materia proxima; quæ est unctio cum chrismate ex olei & balsami mistione confecto. 3. *Signum vel Sigillum vel Consignatio*, tum quod invisibilem characterem animæ imprimat, tum quod exteriori ac visibili signo S. Crucis in fronte formato perficiatur. 4. denique vocatur *Confirmatio* à peculiari effectu, quia animos Fidelium actualis gratiæ auxilijs in necessitate conferendis ita confirmat, ac roborat, ut nec hæreticorum dolis nec Ethnicorum minis & cruciatibus à fide Catholica avelli se patiantur, sed instar generosorum militum constantes ac immobiles inter prospera & adversa persistant, nec mundi nec carnis illecebris vel dæmonum suggestionibus ab obedientia mandatorum DEI abduci se permittant, quod speciale robur & firmamentum voluntatis est proprius effectus hujus Sacramenti, unde nomen Confirmationis, de quo hætenus, accepit. Nunc de re.



### PARS PRIOR.

#### DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

**I.** Naturam hujus Sacramenti copiose declarat Concilium Florentinum in instructione Armenorum his verbis: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus Materia est Chrisma conse-*

ctum oleo, quod nitorem significat conscientia, & balsamo, quod odorem significat bona fama, per Episcopum benedicto. Forma autem est: *Signo te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris &c.* Ordinaris Minister est Episcopus. Et cum cæteras unctiones simplex Sacerdos exhibere valeat, hanc non nisi Episcopus debet conferre; quia de solis Apostolis legitur (quorum vicem tenent Episcopi) quod per Manuum impositionem Spiritum sanctum dederunt; loco autem illius impositionis datur in Ecclesia Confirmatio; legitur tamen aliquando per Apostolica Sedis dispensationem ex rationabilibus & urgenti admodum causa simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum. Effectus autem hujus Sacramenti est, quia in eo datur Spiritus sanctus ac robur, ideoque in fronte, ubi verecundie sedes est, confirmatus innungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat; & præcipue crucem ejus, quæ Judæis est scandalum, Gentilibus autem stultitia, propter quod signo crucis signatur. Hæc Concilium, unde sequentes doctrinas depromimus.

**II.** *Doctrina prima.* Confirmatio est Sacramentum confirmativum Baptizati per augmentum virtutis ad constantem fidei professionem. Ab hac definitione, quæ maxime placet Recentioribus, non discrepant istæ: *Est Sacramentum, quo homo baptizatus spiritalis gratiæ augmentum ac robur accipit per chrismatis in fronte unctionem sub certa verborum forma.* Item est unctio chrismatis sub præscripta verborum forma in fronte baptizati ab Episcopo, quæ is ex Christi institutione gratiæ augmentum ac robur accipit. Omnes istæ definitiones in sequentibus doctrinis clare apparebunt explicatæ.

**III.** *Doctrina secundæ.* Confirmatio est Sacramentum propriè dictum: Est de fide apud Catholicos juxta Tridentinum Sess. 7. can. 1. *Siquis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam esse materiam: & non potius verum ac proprium Sacramentum, anathema sit.* Hæc doctrina partim ex Sac. Scriptura, partim ex Traditione Ecclesiæ & Sanctorum Patrum testimonio probatur hoc argumento. Apostolica impositio Manuum super capita baptizatorum dans Spiritum est proprium ac verum Sacramentum. Sed confirmatio apud Catholicos usitata est Apostolica Impositio Manuum super capita baptizatorum dans Spiritum Sanctum. Ergo est verum proprièque dictum Sacramentum. Maj. probatur: Omne signum sensibile à DEO institutum velut pignus gratiæ per Christum conferendæ est verum proprièque dictum Sacramentum. Sed Apostolica impositio Manuum est signum sensibile per Christum institutum velut pignus ad gratiam ab ipso confendam, Ergo &c. Quod sit signum sensibile patet ad oculum: & velut pignus ordinatum ad conferendam gratiam, constat ex Actis Apostol. c. 8. & 19. ubi dicitur Apostoli *imposuisse manus, ut acciperent spiritum Sanctum*, hoc est, gratiam Spiritus Sancti; aliter enim non datur Spiritus Sanctus nisi mediante effectu gratiæ; siquidem quoad substantiam suam immensam alias ubique est, etiam in malis. Quod autem hoc signum impositionis manuum à Christo fuerit institutum; inde colligitur, quod aliquam Apostoli tam certò polliceri non potuissent Spiritum Sanctum, nisi à Christo promissum nem accepissent; quia humanæ potestatis non est Spiritui Sancto præscribere certum signum, quoposito infallibiliter veniat. Quando autem & ubi hoc Sacramentum à Christo fuerit institutum non scitur, quia nec in Sac. litteris expressum habetur, nec ab Ecclesiâ